His iminet aëris orbis,
Levior qui pondere Terræ,
Ac undæ pondere quanto,
Tantò est onerosior igne.
Illic nebulas volitantes,
Illic consistere nubes
Jussit tenues, hominumq;
Motura tonitrua mentes,
Cum fulminibusq; coruscis,
Facientes frigora ventos.
His non passim quoq; summus
Mundi fabricator habendum
Permisit luminis auram,
Vix nunc obsistitur illis,
Cum quisq; regat sua recte
Diverso flamina tractu,
Quin mundum dilaniarent,
Tanta est discordia fratrum.
Vulturnus ad ipsum Orientem,
Nabathæaq; regna recessit,
Et ditis Persidis oras,
Necnon radiis matutinis
Pulsat juga subdita flatu.
Vesper niger, occiduoq;
Qua litora sole tepescunt,
Zephyro sunt proxima blando.
Scythiam, septemq; triones
Boreas invasit acutus;
Verum contraria tellus
Ventosis nubibus, atq;
Pluvio madidatur ab Austro.
Superimposuit liquidum, et quod
omni gravitate carebat
Coelum, nec quicquam onerosæ
De Terrâ fecis habebat.
Vix finibus omnia certis
Bene sic discreverat ille,
Cum quæ jam pressa diu sat
Massa latuere sub ipsa
Coeperunt sidera celsa
Toto fulgescere Coelo.